

*Guglielmo Ruffo e Ruggero, suo  
fratello, nominano Guglielmo  
Balderi loro procuratore legale*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo e Ruggero, suo  
fratello, nominano Guglielmo  
Balderi loro procuratore legale*

1337-01-03

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo septimo. Die tertio mensis ianuarii, sexte inditionis, apud Sinopolis. Regnante excellentissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Folcalquerii ac Pedemontes comite. Regnorum suorum anno vigesimo nono, feliciter amen.

Nos Nicolaus de Rhegio iudex terre Sinopolis, Petrus Rumbulus de Squillaci publicus per totum Ducatum Calabrie regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati. Presenti scripto publico, notum facimus et testamur universis tam presentibus quam futuris quod constitutis nobis coram viri magnifici domino Gulielmus Ruffo de Calabria comite Sinopolis et Rugerio Ruffo de Calabria fratre suo. Ipsi fratres in nostra presentiam confisi de fide, prudentia industria et legalitate discreti viri et notarii Gulielmi Balderi de Stilo ipsum coram nobis presentem et huiusmodi procurationis \*\*\* suscipientem constituerunt, fecerunt et ordinaverunt in eorum verum et procurationem legitimum et nuncium specialem ad comparendum et praesentialiter se, pro parte et nomine ipsorum constituentium et cuiuslibet eorum coram sacra regia maiestate et quibuscumque aliis statutis deputatis et ordinatis, vel statuendi, deputandi et ordinandi, super decidenda determinanda et finaliter adimplenda causa revocationis domorum et terrarum ipsorum constituentium sitarum in civitate Rhegii, erga muros, seu menia civitatis eiusdem, facta de mandato regio per capitaneum civitatis Rhegii, ut ipsum capitaneum asserere dicebatur de qua sententia dicti

constituentes plurimam aggravati et quod indebita veritate tanta et contra iustitiam factam fuit et petenda a dicta maiestate regia, seu predictis statutis, seu statuendis, ad id pro parte et nomine constituentium predictorum domos et muros eorum predictas eis restitui et ipsas habeant et teneant sicut eorum antecessores et ipsi usque ad tempus revocationis predictae tenuerint et possiderint. Et omnia et singula faciendi circa premissa et quodlibet premissorum quod quilibet verus et legitimus procurator ac nuncios specialis facere, posset et deberet, et que ipsi prefati constituentes facere deberent et possent si premissi personaliter interessent. Etiam si talia fuerint que mandatum exigent speciale dantes et concedentes dicti constituentes et quilibet ipsorum eidem procuratori eorum plenam et libera potestatem si necessarie fecerit ad premissa seu aliquod premissorum alium vel alios procuratores loco sui substituendi vel statuendi, revocandi et alium vel alios loco eorum subrogare si et prout ei videbitur expedire. Promittentes dicti constituentes per stipulationem solemnem ac obligantes se sub hypotheca et obligatione bonorum suorum omnium mihi predicto notario publico stipulanti pro parte et nomine eius interest, vel interesse poterit, hypothecam et obligationem eandem se ratum gratum habituros quidquid per eundem procuratorem tam substituendi ad unum actum tantum quam si plures actus sine gestis in premissis et quolibet praemissorum.

1

Cuius rei testimonium et cuius interest, vel interesse poterit, certitudinem factum est exinde presens publicum instrumentum scriptum et subscriptum  
Illegibile

per manus mei predicti notarii publici, signo meo solito signatum, subscriptioni mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum scriptum. Anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Ego Nicolaus de Rhegio qui supra iudex terre Sinopolis testor. † Ego Iacobus de Messano de Siminaria me subscripsi. † Ego Damianus de domino Valentino predicta testor. † Ego notarius Marchisius de Thetis me subscripsi. † Ego Leo dominus Ugonis de Geracio predicta testor. † Ego qui supra Petrus Rumbulus de Squillacio publicus per totum Ducatum Calabrie notarius predicta scripsi et me subscripsi.